dum milites apud Xenophontem l. l. Teleutiam *στεφανώσαντες καὶ ταινιώσαντες ἔπεμπον*. Aliud agens scriba exaequavit *ἐπαινιόντας — στεφανώσαντας — ταινιώσαντας*, sententiae de more securus. Caeterum obversatur Themistio locus Homeri Iliad. Z. 480, ut apparet ex sqq. *ἡ δὲ χαίρει δεξαμένη — φέροντας μὲν καὶ βροτόεντα ἔναρα, φέροντας δὲ καὶ ἁγιώτερα τρόπαια.*

Vidi nuperrime qui in Nepotis loco pro AUREIS probaret Westermanni coniecturam LAUREIS doceretque bis apud Velleium Paterculum II. 40. 4 in libris esse *corona aurea* pro *laurea* [1]). Confundi haec posse et solere constat, sed *coronae laureae* in tali re commemorari non possunt, quum ingens civium multitudo Alcibiadem coronis undique paratis emtisque vulgo donaret. Quod cuique erat in promptu, id Alcibiadi obtulit. *Coronae laureae* apud Romanos sunt triumphantium, apud Graecos *στέφανοι δάφνης*, *στέφανοι δάφνινοι*, *δαφνηφόρος* et *δαφνηφορεῖν* in sacris Apollinaribus habebant locum et in consulendo oraculo Apollinis Delphico. Memorabilis locus est apud Livium XXIII. 11, ubi Q. Fabius Pictor Delphis redux commemorat *„iussum se ab templi antistite sicut* coronatus laurea corona *et oraculum adisset et rem divinam fecisset, ita coronatum navim ascendere nec ante deponere eam quam Romam pervenisset.*"

C. G. Cobet.

LYCURGI LOCUS CORRECTUS.

In Lycurgi Leocratea § 40 scioli additamentum adhuc acutos Criticorum oculos fugit. Editur: *ὁρᾶν δ' ἦν ἐπὶ μὲν τῶν θυρῶν γυναῖκας ἐλευθέρας [περιφόβους] κατεπτηχυίας καὶ πυνθανομένας [εἰ ζῶσι] τὰς μὲν ὑπὲρ ἀνδρὸς, τὰς δ' ὑπὲρ πατρὸς, τὰς δ' ὑπὲρ ἀδελφῶν.* Quemadmodum recte viri docti *περιφόβους* expunxerunt, sic et verba *εἰ ζῶσι* Graeculo, qui de suo addidit, reddere debuerant. Admonitus senties illa verba et inepte abundare et alieno loco esse posita. Ubi deleveris omnia recte procedunt.

C. G. Cobet.

---

[1]) Roersch, *Revue de l'Instruction Publique en Belgique* IX. p. 433.